

MARTINI LVTHERI.

ditoris, dum in cæteris animantibus & corporibus, sola musica sine sermone gesticulatur. Denique homini soli præ cæteris, sermo voci copulatus donatus est, ut sciret, se Deum laudare oportere verbo & musica, scilicet sonora prædicatione, & mixtis verbis suavi melodix. Iam si comparisonem feceris inter ipsos homines, videbis quam multiplex & varius sit Creator gloriosus in donis Musicæ dispertitis, quantum differat homo ab homine in voce & verbo, ut alius alium mirabiliter excellat, negant enim, posse duos homines inueniri, similis per omnia vocis & loquelæ, etiam si sæpius imitati alij alios videantur, velut alij aliorum simiq.

Vbi autem tandem accesserit studium & Musica artificialis, quæ naturalem corrigat, excolat & explicet, Hic tandem gustare cum stupore licet (sed non comprehendere) absolutam & perfectam sapientiam Dei, in opere suo mirabili Musicæ, in quo genere, hoc excellit, quod vna & eadem voce canitur suo tenore pergente, pluribus interim vocibus circum circa mirabiliter, ludentibus, exultantibus & iucundissimis gestibus eandem ornantibus, & velut iuxta eam diuinam quandam choream ducentibus, ut ijs, qui saltem modico afficiuntur, nihil mirabilius hoc seculo, extare videatur, Qui vero non afficiuntur, ne illi vere amusi & digni sunt, qui aliquem Merdipoetam interim audiant, vel porcorum Musicam.

Sed res est maior, quam ut hac breuitate vtilitates eius describi queant, Tu iuuenis optime, commendatam hanc nobilem, salutarem & lætam creaturam tibi habeas, qua & tuis affectibus interim medearis contra turpes libidines & prauas sotietates, Deinde alluescas in hac creatura, Creatorem agnoscere & laudare, Et deprauatos animos, qui hac pulcheritima & natura & arte abutuntur, ceu impudici poetæ, ad suos insanes amores, & summo studio cauto & vitato, certus,

AA 3 quod